

**De ophthalmia gonorrhœica : dissertatio inauguralis medica quam
consensu gratiosi medicorum ordinis in Universitate Heidelbergensi
eruditorum examini submittit / Joannes Nicolaus Scherrer.**

Contributors

Scherrer, Joannes Nicolaus.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Phorceni : Typis Dennig Finck, 1842.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ad25wyty>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

COMMENTATIO


DE

OPHTHALMIA GONORRHOICA.

AUCTORE

JOANNE NICOLAO SCHERRER,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORE.



PHORCENI.

T Y P I S D E N N I G F I N C K & C°

MDCCCXLII.

— 10 —

ЛІСОВАЯ АКІДЕМІЯ

ПЕРІОДИКА

ІМЕНІ В.І. СІЧУ

ЛІСОВАЯ АКІДЕМІЯ ВІДКРИТА ЗАМОГУЩОСТІ

ІМЕНІ В.І. СІЧУ

ЛІСОВАЯ АКІДЕМІЯ

ІМЕНІ В.І. СІЧУ

ЛІСОВАЯ

ІМЕНІ В.І. СІЧУ

DE
OPHTHALMIA GONORRHOICA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IX


UNIVERSITATE HEIDELBERGENSI

ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

JOANNES NICOLAUS SCHERRER,


MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTOR.



PHORCENI.

T Y P I S D E N N I G F I N C K & C°

MDCCCXLII.



Digitized by the Internet Archive
in 2015

<https://archive.org/details/b22348372>

**VIRO
ILLUSTRISSIMO EXPERIENTISSIMO
DOCTISSIMO
DOMINO DOMINO
S. J. TEUFFEL,
MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI,
MAGNI DUCIS BADARUM ARCHIATRO ET CONSILIARIO
INTERIORI,
DIRECTORI SANITATIS COLLEGII,
ORDINIS ZAERINGAE LEONIS EQUITI,
ORDINIS CAESAR. RUSS. ST. VLADIMIRI, INSIGNIS CORONAE REG. BAVAR. PRO
MERITIS CIVILIBUS POSSESSORI,
PLURIUM INCLYTARUM SOCIETATUM SCIENTIFICARUM
SODALI DIGNISSIMO**

HOCCE OPUSCULUM

OFFERT ET DEDICAT

DEVINCTISSIMUS

AUCTOR.

DE
OPHTHALMIA GONORRHOICA.

SYNONYMA. Blepharophthalmia et Ophthalmia gonorrhœica vera (*Beer*); Blepharophthalmia syphilitica primaria et Ophthalmoblenorrhoea syphilitica (*Benedict*); Ophthalmoblenorrhoea seu Chemois gonorrhœica (*Schmidt*); Ophthalmitis gonorrhœica (*Frank*); Ophthalmia venerea acuta (*Girtanner*); Iritis medorrhœica (*Wendt*); Ophthalmia venerea metastatica (*Sauvages*); Ophthalmoblenorrhoea venerea, Conjunctivitis venerea (*Bonorden*);
Blepharophthalmia blennorrhœica; Blennorrhœa oculi syphilitica;
Conjunctivitis specifica; Gonorrhœa oculi.

Ophthalmia gonorrhœica est ea membranae oculi conjunctivæ inflammatio, in qua hujus membranae et structura et functiones specifico contagii gonorrhœici irritamento mutantur. Conjunctiva enim, revero convertitur in membranam mucosam, quae e corpore papillari, in ipsa membrana nato, mucum, muco gonorrhœico simillimum, et propria natura contagiosum magna plerumque quantitate secernit.

Quoad extensionem, quam in membrana conjunctiva vegetationis morbosus progignit processus, duae ophthalmiae gonorrhœicae distinguntur species, quae sunt:

1. *Blepharoblenorrhoea gonorrhœica*, in qua solo palpebrarum conjunctiva praecipue afficitur, specifica autem inflammatio gradu tantum minori aut minime in ipsam bulbi conjunctivam se extendit; et

2. *Ophthalmoblenorrhoea seu Blepharophthalmoblenorrhoea gonorrhœica*, in qua et conjunctiva palpebrarum et conjunctiva bulbi, imo etiam internæ oculi tunicae, imprimisque autem iris et chorioidea interdum afficiuntur inflammatione.

Nosographia.

A. Blepharoblenorrhoea gonorrhœica.

Prima hujus morbi symptomata sunt: palpebrarum rubor, tensio ac dolor, aeger in oculo pressionem sentit, corpora arenosa sub palpebris jacentia putat. In conjunctiva palpebrali rubor, colore coccineus, interdum gradu tantum minori in scleroticae conjunctivam se extendens perspicitur. Paululum muci albo-flavi seu inter palpebras et bulbum seu in palpebrarum marginibus jam hoc ipso tempore observatur. Paulo post major muci quantitas secernitur, quae, non in glandulis Meibomianis, ut in ophthalmia catarrhali, sed in conjunctivae corpore papillari suum habet fontem. Praeterea huic morbo desunt exacerbationes et remissiones blepharophthalmiae catarrhali peculiares. Praesertim vero tardam omnium symptomatum evolutionem eorumque intensitatem multo minorem, si eacum ophthalmoblenorrhœam comparamus, propriam notandam habemus.

Quae morbi forma plerumque sine ullo existit periculo, quod ejus symptomata per 8, 14, saltem 21 dies sensim sensimque decrescere solent, tandem perniciose sequelas non relinquentia evanescunt. Interdum mucus corrodens, corneam affluens eam exulcerat atque obscurat, aut aliae potentiae nocentes, ut perversa medici tractatio, subitanea gonorrhœae suppressio blepharoblenorrhœam in ophthalmoblenorrhœam possunt commutare.

Blepharophthalmia gonorrhœica e contagione oculi cum muco gonorrhœico effecta generatim originem ducere solet, interea nonnulli describuntur casus, in quibus mucus, existente ophthalmia neonatorum, secretus adulti hominis oculo applicatus similem morbi formam progenuisse fertur.

B. Ophthalmoblenorrhoea seu Blepharophthalmoblenorrhoea gonorrhœica.

Cujus morbi decurrentis tria distinguuntur stadia, quorum fines autem plurimis in casibus accurate non sunt constituendi.

I. Stadium inflammatorium (*Hydorrhœa*).

Pruritum vehementem, ardorem dolentem aeger primum in oculo sentit, quae sensationes in palpebrarum marginibus atque earum angulis imprimis percipiuntur; lacrymae acres crebrius oculis defluunt, et non nimis parva simulque appetet photophobia. Dolor valde adauctus, et potentia lucem perferendi nimis imminuta nonnunquam efficiunt, ut oculis ne minimus luminis aditus permitti liceat. Conjunctiva est vivide rubra, citissime intumescit, villose laxatur, quod proprio modo majori gradu in scleroticae, quam palpebrarum membrana conjunctiva accidit. Palpebrarum cutis externa erysipelatose rubescit et tumet, aeger in oculo dolentem pressionem et tensionem sentit, bulbi et palpebrarum motus sunt retardati. Accuratiore oculi exploratione instituta, quae in hoc morbi stadio ob tumorem valde dolorosum, ob palpebrarum tensionem et non minus ob nimiam photophobia plerumque difficillima est, in eo loco, quo conjunctiva palpebralis in scleroticae conjunctivam continuatur, i. e. in conjunctivæ plica, manifesta vasorum adaucta evolutio animadvertisitur. Telae conjunctivæ structura hic primo mutata, laxior et mollier invenitur, quae dein fit pulvi similis, grana evolvens simulque magnam tractus intestinalium tunicae villosae similitudinem ostendens. Quae structuræ mutatio, primo in conjunctivæ plica in conspectum veniens, inde supra scleroticae et palpebrarum conjunctivam se latius extendens e progrediente corporis papillaris

formatione habet originem, simulac gravissimum, certissimumque symptoma et proprium cujuscunque primariae ophthalmoblenorrhoeae atque praecipue ophthalmoblenorrhoeae gonorrhoeicae signum pathognomicum medico peculiarem morbi naturam indaganti praebet. Quum in eo loco, quo formatur corpus papillare, conjunctivae solum paucis vasorum ramunculi observantur, mutationes memoratae per ipsam membranam lucentes distinete perspici possunt, quod oculo bene armato facilius contigit. Circa corpus papillare evolutum autem conjunctiva valde inflammata et copiosa vivide rubra vasa sanguiferentia clare apparent, quae vero corporis papillaris formatione et eacum conjunctivae metamorphosi amplius progredientibus iterum evanescunt (*Jüngken*). Conjunctiva hoc modo et structura et functione mutata, jam mucum solet secernere. Mucus qualitate mutatus, quantitate adactus e singulis papillis scaturiens lacrymis miscetur magna copia secretis, iisque praebet colorem plus minusve turbidum vel squalidum, summatim non stricte describendum. Deinde palpebrae superioris intumescentia et non minus photophobia ac oculi dolores totum per caput se extendentis magnopere increscunt; symptomata morbi localia adhuc febris vehemens, pulsus durus et plenus, calor siccus et ardens, caput obtusum accedunt.

Quod morbi stadium brevissimum est, saepe per non nullas horas decurrens et a medicis raro observatum.

III. Stadium blennorrhoeicum (*Phlegmatorrhoea*).

Progrediente conjunctivae corporis papillaris evolutione, copiosior manat mucus et peculiaris morbi processus vera manifestatur oculi blennorrhoea. Mucus aquosior et albo-flavus, ab initio hujus stadii e palpebrarum rima effluens cito magis condensatur et copia augetur, paulo post fit viride-flavus, quo perfectam muci gonorrhoeici ex urethra

effluentis praesentat similitudinem. Cujus peculiaris indole sua mutati muci mira saepe copia ex palpebrarum rima fluentibus delabitur rivis, corrodenteque sua proprietate haud raro genarum corrodit superficiem, nonnunquam parvulas efficit pustulas, in viride-flavas crustas transeuntes. Palpebrae pedetentim ita intumescent, ut quarum imprimis superior interdum veluti hemisphaera opaco-rubra, laevis et nitida supra oculum dependens appareat.¹

Tensio oculi dolens magnum vehementiae gradum ascendit, dolores in ipso oculo et in oculi regione saevientes valde augentur, unacum tensivi, pungentes, scindentes, denique aegro paene intolerabiles evadunt. Deliria eos haud raro sequuntur, praeterea febris vehemens et agrypnia adsunt.

Majori num in circuitu conjunctiva rubet, vasa sanguine nimis turgentia *recta* usque ad corneae marginem se extendunt; conjunctiva bulbi magnopere tumens corneam cingit quasi aggere (wallartig). Qui agger seu torus, coloris latericii, corneam veluti in fovea jacentem non solum in toto circuitu constringit, sed etiam variis in locis praecipue margine superiori super eam ita se expandit, ut parvulam iridis partem crebrius vix possimus intueri. Conjunctiva ita tumida, opaco-rubra, paene bullaeformis inter utramque palpebram se protrudit, quarum una aut altera ad externum convertitur.

Quae phaenomena paulo post conjunctivae corneae sequitur inflammatio. Cornea ab initio, veluti pulvere inspersa, nebulosa et ita turbida observatori appetet, ut pupillam et iridem intueri vix possit. Quibus objectis plus minusve ipse

¹ Hic tumor nonnunquam oedematosus existit, quo cutis et tela cellulosa minus, quam in statu naturali, rubent. In aliis autem casibus tumor durior et cutis, praeprimis ea palpebrae superioris vivide rubra perficiuntur. Qui partium status majorem inflammationis activitatem, gravius oculo periculum minantem, ostendit. (*Lawrence.*)

laeditur visus; et circuitu et intensitate haec mox increscit obscuratio, quae sensim fit saturatior et aequabilior, pedentim tota corneae substantia laxatur, laminae primo in corneae margine imbricatum se accumulant, seu libri creberrime perfecti foliorum adspectum praebent (*Beer*), mucus puri similis aperte emanat his laminis. Quo rerum statu omnis amittitur corneae pelluciditas, in ejusdem loco nil aliud tandem, quam massa flavo - alba remanet. Cornea plane turbida facta seu pelluciditate ejus omni ademta, iridem et internas oculi membranas infasta nonnunquam petit inflammatio, quae bulbo ipsi interno diras infert vastationes. Quod et vehementissimi, scindentes et terebrantes dolores, qui in oculo profunde, et in orbita ita sentiuntur, ut in hoc misero statu demum omnem aegri quietem, somnum ac ciborum appetentiam fugent, diligent naturae observatori verisimiliter probare videntur. Inflammationem, quae in ophthalmoblenorrhœa gonorrhœica vigeat, ad iridem et internas oculi tunicas propagari, *Benedict*¹ plane negat, confirmans, iridis symptomata omnia deesse, praeterea se in omni casu, quo, decrescente morbo, cornea pellucida fieri cooperit, pupillam progressis exsudationibus nunquam deformatam vidisse. Interea *Lawrence* multis in casibus magnas iridis coloris mutationes, lymphæ exsudationes in ejus margine natas et adhaesiones orientes vidit; quae observationes hinc inde satis demonstrant, iridem quoque coripi posse propaganda inflammatione.

Similitudo etiam, quae huic morbo cum aliis ophthalmoblenorrhœis est, imprimisque cum ophthalmia aegyptiaca, in qua *Meyer Bonnae*² et iridis et chorioideae praegressam inflammationem sectionibus, diligente studio institutis, accurate

¹ Handbuch der prakt. Augenheilkunde. B. II. p. 208.

² Journal der Chirurgie u. Augenheilkunde von *C. F. v. Graefe* und *Ph. v. Walther*. B. II. St. 1. p. 100.

demonstrabat, inflammationis, quae in ophthalmia gonorrhoeica viget, in iridem et chorioideam propagationem valde probabilem reddit. Hujuscemodi observationes posteriores, quales instituit *Lawrence*, et multo magis oculorum, qui ophthalmoblenorrhœa gonorrhœica affecti erant, sectiones subtilem, quae adhucdum, quantum de hac re mihi notum est, omnino desunt, hujus morbi processum potissimum certiorem reddere valebunt.

III. Stadium suppurationis (*Pyorrhœa*).

Conjunctivæ secretum, quae membrana stadio hoc in maximo ejus ambitu immutata perspicitur, tenacius ac densius fit, corrodens ejus virtus increscit, et tandem sensim plane virescit. Palpebrae superioris tumor mirum in modum ita grandescit, ut supra palpebrae inferioris marginem pendentem videamus globum carnosum, qui omnino impedit bulbi adspectum. Mucus purulentus pone hunc globum accumulatus palpebrae extensionem adhuc augere solet. Doloris et photophobia maximus gradus appareat. Quod morbi momentum in casibus valde infelicibus **TOTALIS CORNEAE SUPPURATIO** insequitur; purulentus inter corneæ laminas jam vigens processus omnem hujus membranae telam cito penetrat et cornea in flavam hemisphaeram, in sic dictum vorticem purulentum commutatur.¹ Tandem strepitu aegrum conquassante rumpitur oculus, lens atque humoris aquei pars interdum tanta vi ejiciuntur, ut lens saepe plures passus ab oculo dissiliat, quem effectum simultanea oculi muscularum

¹ Massa vero effusa non fluida est, accumulatur non in concavitate, sed pus densum et glabrum, quod in corneæ tela deposita jacet, et abstergi non potest, aperte repraesentat. — **Richter** (Anfangsgründe der Wundarzneik. Wien 1790. B. III. p. 68. §. 57.) affirmat, materiem gonorrhœicam nonnunquam in oculi camera anteriori in conspectum venire, (?) quo in casu corneam, ut in hypopio, aperire et materiem gonorrhœicam evacuare jubet. I. c.¹ p. 69. (!)

vehemens convulsio profecto adjuvat. Phthisis bulbi hoc momento revera incipiens mox evadit perfecta.¹

In aliis casibus, minus malignis solum parva CORNEAE ULCERA PARTIATIM DISPERSA oriuntur, quae et forma peculiari et indole adspectum proprium ostendunt. Quae ulcera, ad corneae marginis directionem flexa, in illo corneae marginis loco, cui tumens scleroticae conjunctiva imprimere poterat, seu quo puri simile secretum diutius stagnabat, plerumque propriam suam habent sedem. Quorum saepe duo, tria, imo quatuor adsunt, quae crebrius ab initio videri non possunt, quod corneae margo, in qua sedent, tumente scleroticae conjunctiva tegitur, et eo demum adspici possunt, cum conjunctivae intumescentia descrescere coepit. Formant deinde in corneae margine sulcum profundum, qui raro minus, quam $\frac{1}{3}$, saepe $\frac{1}{2}$ vel $\frac{2}{3}$ circuitus partem, imo vero non-nunquam totum corneae ambitum complectitur. In hujus sulci ulcerantis lateribus corneae laminas, veluti libri, saepissime perfecti, folia, crebrius distincte adspicere valemus. Plerumque haec corneae ulcera flexa, inaequales et asperas ostendunt margines, ac interdum adeo profunde penetrant, ut sola humoris aquei membrana integra maneat. Membrana humoris aquei, corneae laminarum ulceratione denudata, humore aqueo se accumulante, cum iride protruditur, et hoc modo in antica oculi parte fusca oritur prominentia, quae ostendit formam striatam, quam iridis fibrae, quas hic tenuis, laevis, plus minusve pellucida tegit cuticula, certe efficiunt. Procedente ulceratione deinde tunica quoque humoris aquei aut perforatur aut deletur, iridis pars per foramen hinc inde ortum penetrat, quomodo aut minor aut major nascitur prolapsus

¹ Quodsi in casu totalis suppurationis rhixin seu rhegma bulbi praecaveri liceat, attamen plerumque leuomata corneae centralia, seu totius corneae obscuratio, quibus plane tolli potest videndi facultas, quo tristes necessariae remanent sequelae.

iridis, qui cicatrice obducenda cum corneae ulcere coalescens permanentem hujus loci obscurationem relinquit. Si major *iridis* pars aut per unum aut per plura corneae foramina prolabitur, tum minus majusve nascitur *staphyloma racemosum*, cuius in ambitu albescens corneae obscuratio, quae raro unquam plane evanescit, appareat.

Quum maxima processus morbosi malignitas in omni corneae structura viget, tum ejus destructiones et generaliores et profundiores evadunt, quod aut totus corneae ambitus et omnis ejus substantia, aut singulae solum partes, excepta humoris aquei membrana, a mortifero SPHACELO corripiuntur atque delentur. Cornea redditur turbida et nebulosa, ejusque pelluciditas et splendor paene extincti sunt, denique in luridam, flavofuscam, luci imperviam massam convertitur. Ab initio haec membrana corio madido similis est, a partibus vivis mox dispellitur, dein massa soluta ac mollis appetet. Qua corneae separatione cum et humoris aquei camerae et lens crystallina denudantur, aeger nonnunquam facultatem videndi pro tempore accipit. Quod videndi tempus brevissimum est, quum effluentibus oculi humoribus tunicae vacuae simulque collabuntur, bulbus in perpetuum corrugatus orbita insidet, et nunquam redibit videndi potentia. Interdum humores oculi quoque in oculi bulbo remansisse Lawrence¹ observabat. In hujuscemodi casu tumens scleroticae conjunctiva ab corneae delapsae vacui spatii ambitu ad ejus centrum se contrahens omne hoc spatiū implet; oculus dein nil nisi rubram massam carnosam praesentat, in qua ne prior quidem corneae situs distingui potest. Corneae substantia saepissime non omnis dirimitur et anterior oculi camera omnino non appetet denudata. Singula ejus pars sphacelosa sola separatur, dein ulcerans superficies bullosi

¹ On the venereal Diseases of the Eye. London 1830. 8. p. 69 et p. 79. Cas. IV et VII.

tuberis instar se expandens remanet. Tuber illud humoris aquei membrana et eidem iride adhaerente constat. Bulla ista tuberosa decrescente inflammatione minuitur, et regularis corneae forma denuo in apertum venit; iris autem continue adhaerens tenui, solum partiatim luci pervia tunicula, tegitur, dum in proxima adhaesionis regione locus multo opacior observatur. Quodsi major, ut dimidia aut tertia corneae pars deleta est, in antica oculi haemisphaera tumor permanens, externe e' luci impervia corneae parte simulque interne iride adhaerente constans, nonnunquam observatorum oculis perspicitur. Qui tumor est status morbosus, quem ophthalmo - pathologi *staphyloma corneae partiale* nominant. Quod interdum minori tantum gradu imminuit videndi potentiam.¹ Quae vero, cum in tota corneae substantia obvenit deformatio, morbus vocatur *Staphyloma corneae totale*, quod plane omnem aufert visum. Prolapsum iridis, existente staphylomate partiali, aut prolapsu per parva, ulceratione nata, corneae foramina factum, aut iridem leucomatodi corneae parti adhaerentem, consequi possunt *pupillae contractio aut obliteratio*. Ophthalmia gonorrhoeica, ut supra memoravi, profundiores oculi texturas quoque, praeципue tunicas ejus internas, veluti iridem et chorioideam arripere earumque progignere potest desorganisationes, e quibus enumerantur: iridis cum interna corneae superficie adhaesio (*Synechia anterior*), quae non ut plurimis in casibus accidere solet, ex ulcere corneae perforante originem habet, sed a primaria iridis inflammatione excitatur; deinde pupillae coarctatio aut obliteratio, e lympha iridis margine exsudante orta; antici parietis capsularis obscuratio;² non-

¹ „I have seen it occur“, dicit Lawrence p. 20, „in both eyes of the same individual, with but little injury to sight, as the protrusion of the iris hardly interfered with the pupil.“

² Bis autem vidi a sanata ophthalmia gonorrhoeica remansisse *opacitatem lentis crystallinae* (?) J.J. Plenk, Doctrina de morbis venereis. Viennae 1779. p.89.

nullarum capsulae anterioris partium cum margine pupillari adhaesio (*Synechia posterior*); denique lymphae exsudationes, ex interna chorioideae superficie nascentes.¹

Hunc, finem tristissimum capiens, decursum facit ophthalmia gonorrhœica.— Sin contra jam in prima morbi periodo remedia apta et dosi et ratione recta adhibentur, tum ipso incipiente tertio quoque stadio interdum oculi conservatio ac perfecta visus restitutio adhucdum sperandæ sunt. Dolores in oculo ipso in ejusque vicinitate saevientes in dies magis magisque quiescere incipiunt, profusa muci secretio paulatim minuitur, mucus viride-flavus sensim albescit, simulque liquidior et, ut videtur, nascitur multo mitior. Magna ista palpebrae superioris intumescentia adeo decrescit, ut jamjam iterum exsurgat ejus movendæ potestas. Conjunctivæ scleroticae tumor a corneæ ambitu ab ejusque margine paulatim se eo amovet, quo iste torus, corneam cingens, plane evanescit. Densus conjunctivæ bulbi rubor pedetentim defluere videtur, tunica sclerotica e singulis partibus minutim albescens translucet, clare iterum cernuntur singuli vasorum fasciculi, quorum teneriores recta ad corneæ marginem exeuntes conjunctivam intrant, crassiores contra arcuatim se extendentes tunicam sclerotican ineunt. Interea conjunctivæ abnormis vasorum copia multo demum post tempore plane aufertur, sensim sensimque et prior perfecte albus reducitur scleroticae color. Conjunctivæ palpebralis laxatio villosa longo post remanere solet. Palpe-

¹ „I am desirous to explain that the tendency to the secretion of pus on the part of the inner and deep-seated serous textures of the eye, is very great whenever they become inflamed during the process of gonorrhœal ophthalmia, and that when this has occurred, when the affection has proceeded to this extent, the serous textures which secreted the purulent matter become absorbed, so that the small tubercle which remains is not, by any means frequently, found to contain the choroid, the retina and the ciliary processus; dissection proves that an imperfect remnant of the iris and a mass of fibro-cellular tissue alone remains.“ Vid. *Middlemore*, a treatise on the Diseases of the Eye. London 1835. Vol. I. p. 291.

brarum marginum tumor ac rubor diutissime se ostentant, nonnunquam parvulae, cristae gallinaceae fere similes prominentiae luxuriantes eodem loco in lucem veniunt. In extremo plerumque agmine incedit photophobia, ipsis inflammationis symptomatibus omnibus sublatis, sensilis interdum lucem justo aegrius fert oculus.

Regrediente, quam induxit inflammatio, metamorphosi, febris sensim sensimque non solum cessat, sed omnino cedit, interrupti aut sublati somni sana quies nocturna occupat locum, convalescentia in dies magis revivescente vires etiam, vigente morbo amissae, nunc redeuntes laetam confirmant sanitatem.

Ulcera ipsa quoque corneae nata incipiunt consanescere, et ab iis perdata substantia sensim sensimque restituitur. Cujus restitutionis processus initium ex eo elucet, quod excavationis superficies colorem trahit glaucum candidantem, et pedetentim impletur molli, semipellucida ac gelatinosa substantia. Quomodo dein laevis fit corneae superficies, simulque regularem priorem convexam recipit formam, quo fit, ut in locis corneae antea exulceratis vix parvula remaneat obscuratio. Regeneratio autem ipsa adeo tarde procedit, ut per plures saepe dies paene eadem esse videatur et ulceris forma et extensio. In obducendis cicatricibus eadem, quae in aliis ulceribns sanandis obvenit, perspicitur contractio. Qua de causa cicatrices opacae multo minores, quam corneae ulcera priora, apparent oculo indaganti. Quae ulceratio, cum in solo corneae ambitu plerumque viget, majoribus sanatis ulceribus, tantum accuratori intuitu detegendum cicatricis vestigium relinquit. Quodsi ulcera etiam super pupillae marginem ipsam se extendunt, progrediente sanatione ita contrahuntur cicatrices, ut radiorum lucis per pupillam aditus, et eadem ratione visus ipse omnino non impediatur. Margo pupillaris interdum cum interna corneae superficie partiatim coalescit, id est, synchia anterior remanet, quae vero videndi facultatem non imminuit.

Diagnosis.

Ab *ophthalmia syphilitica*, quam nonnulli ophthalmiae gonorrhœicae parem putabant, natura, symptomatibus propriis et ipsa sede differt. *Ophthalmia syphilitica* est quoad indolem iridis inflammatio e praegressa aut adhuc existente lue venerea omni tempore orta, plerumque igitur morbus syphiliticus secundarius, qui in summo culmine ipso nunquam commutetur in blennorrhœam. *Ophthalmia gonorrhœica* autem est conjunctivæ inflammatio ac blennorrhœa primaria, quae raro et in casibus solum maxime malignis in iridem se extendit.

A *blennorrhœa oculi simplice* ophthalmia gonorrhœica summatim conditionibus ipsam comitantibus, praegressa nempe gonorrhœa virulenta aut adhuc durante, diversa est, praeterea symptomatum vehementia et decursu acutissimo, oculum ita afficiente et delente, ut saepius paucis post diebus nullo modo possit conservari. Alia differentia est peculiaris muci secreti qualitas, imprimis quoad colorem muco gonorrhœico simillima. In nulla alia oculi blennorrhœarum specie tempore tam brevi et tantæ quantitatis muci secretio in apertum venit, in nulla alia muci secreti ita peculiaris est proprietas atque color. Ab ophthalmia gonorrhœica eodem tempore plerumque solus *unus* corripitur oculus, dum in aliis blennorrhœis creberrime uterque oculus simul afficitur. *Vetch*¹ ad hanc observationem confirmandam dicit, e mille casibus blennorrhœae simplicis vix unum inveniri posse, in quo solus unus affiliatur oculus. Quodsi ophthalmiae gonorrhœicae processus morbosus multis in casibus non in solo uno saevit oculo, attamen paene nunquam uterque oculus simul arripitur morbo, quod in blennorrhœis oculi aliis

¹ A treatise on the Diseases of the Eye. London 1820. 8. p. 195.

plerumque accidit, sed primo tantum oculorum *unus*, et, quod mirum, *dexter* processu gonorrhoco implicatur, et paulo post demum etiam alteri eadem fit sors.

Ab ophthalmia aegyptiaca blennorrhoea oculi gonorrhœica praecipue se differt peculiari momento causalî. Praeterea ophthalmiae aegyptiacæ stadium primum plurimis in casibus longius est, quam id ophthalmiae gonorrhœicæ, quod morbi processus in bulbi conjunctivam tardius transit. Mucus, in ophthalmia gonorrhœica secretus, citius densior, tenacior fit, nec non in tertio morbi stadio flavo-viridior. Ceterum utriusque morbi phaenomena per hoc ultimum stadium fere aequalia se habent. Interea inflammationem ex ophthalmia aegyptiaca multo frequentius, quam ex ophthalmia gonorrhœica in profundiores oculi membranas, apprime in iridem et chorioideam se extendere, diligentे sectionum accuratarum relationes, quas et *Mayer* Bonnae¹ et *Ammon* Dresdae² referant, sat clare demonstrant. Nonnunquam, sicuti *Omodeus*³ observavit, ophthalmia aegyptiaca, qua propria varietas in apertum venit, symptomata nempe vehementis iritidis prae se ferens, et oculum ab interno ad externum destruere videtur, dum ophthalmiae gonorrhœicæ processus deleterius magis ab externo ad internum procedit.

Ophthalmiae aegyptiacæ peculiaris quoque est granosae substantiae productio, morbus consequutivus, qui, in membra conjunctiva, maximeque in conjunctiva palpebrae inferioris obveniens, ad recidendam inflammationem valde inclinat, et longum per tempus saepe nequit ammoveri.

Blennorrhœa oculi catarrhalis ab ophthalmia gonorrhœica potissimum eo differt, quod demum lege fere constante

¹ loc. cit. p. 100.

² *Hecker's* literar. Annalen der gesammten Heilkunde. *Wagner* über die Krankheiten der Chorioidea, im Archiv für medizin. Erfahrungen von *Horn, Nasse, Henke u. Wagner*. 1821.

³ Cenni sull' ottalmia contagiosa d'Egitto. Milano 1816. p. 114.

e simplici conjunctivitate catarrhali oritur et maxima ex parte in sola palpebrarum conjunctiva sedem habet; adhoc magis albescit mucus secretus, colorem flavo-viridem, ophthalmiae gonorrhœicae proprium, non ostendit. Qualitas contagiosa plurimis in casibus, praesertim ab initio, muco omnino deest, qui in pertinacibus tantum, diutissime perdurantibus ac non minus neglectis casibus, prout in aliis blennorrhœis sub hisce conditionibus accidat, tandem naturam contagiosam quoque potest accipere. Quae a conjunctivitidis catarrhalis initio proprio modo se manifestantes exacerbationes et remissiones minori etiam in ophthalmiae gonorrhœicae gradu, in blepharophthalmia gonorrhœica, quae a blennorrhœa oculi catarrhali difficillime distinguitur, in observatoris conspectum non veniant. Dolores multo mitiores, quam in ophthalmia gonorrhœica percipiuntur. Quodsi etiam, blennorrhœa oculi catarrhali vigente, nascuntur ulcera, at tamen nunquam eadem, ut in ophthalmia gonorrhœica, ratione oriuntur. Producantur nempe in locis conjunctivæ bulbi maxime inflammatis aut e vesiculis flavo-albescientibus aut ex ipsis pustulis; adhuc in utroque oculi angulo facilime progignuntur erosiones et ulcera. — *Blennorrhœae* quoque *scrophulosae* ulcerum ortus eorumque proprietas multo aliter, quam in ophthalmia gonorrhœica, se habent. Quae ulcera nempe ex sic dictis phlyctaenis, plerumque in corneæ et scleroticae margine apparentibus, faciem lardaceous ostendentibus, atque nullo tempore e corneæ sphacelo, quomodo fit in ophthalmia gonorrhœica, originem ducunt; praeterea iisdem etiam peculiaris forma et proprietas desunt. Ophthalmiae gonorrhœicae symptomata multo rapidiora ac citius delentia, quam ea blennorrhœae oculi catarrhalis et scrophulosae, decurrunt.

Aetiology.

Pauci corporis humani et forsitan vix ullus oculi animad-vertuntur morbi, de quorum genesi medicorum sententiae ita variant, prouti in dijudicanda ophthalmiae gonorrhœicae generatione fiat. Opiniones in hujus morbi aetiology expositae semper valde diversæ erant, quarum causa prima certe in eo posita est, quod medicorum solum paucis hanc raro obvenientem ophthalmiam in omnibus diversis conditionibus observandi occasio erat. Etiam a priori quidem non valde probabile est, ophthalmiam gonorrhœicam una et eadem exoriri ratione. Praeterea experientia quoque evidenter demonstrat, ophthalmiam gonorrhœicam profecto varium geneseos ortum habere. Tria adhuc ejus momenta causalia diversa sat probata sunt, quorum et priori et hoc ipso tempore unumquodque omnium casuum unica causa putabatur. Quae momenta sunt:

- I. Infectio topica,
- II. Metastasis,
- III. Mutuus inter membranam urethrae mucosam et oculi conjunctivam consensus.

I. Oculorum infectio a muco gonorrhœico producta.

Quam ophthalmiae gonorrhœicae orienda rationem plures medici non solum dubitarunt, sed etiam omnino negaverunt. Multiplices autem observationes et experientiae argumenta sufficientia praebuere praecipue duas inficiendi rationes, quae sunt:

- 1) Materies gonorrhœica ad ipsius gonorrhœa virulenta laborantis oculum applicata, ophthalmiam gonorrhœicam prognere potest.

2. Mucus gonorrhoeicus, ab alio individuo sumtus seu ex urethra blennorrhœa virulenta affecta, seu ex oculo ophthalmia gonorrhœica laborantis, in alterius oculum applicatus, ophthalmiam gonorrhœicam producerè valet.

Experientia quidem docet, contagium in uno eodemque aegro morbum novum non producere, dum alios denuo afficere valere. Quare liceat per analogiam argumentari, materiem gonorrhœicam contagiosam ad ipsius gonorrhœa virulenta laborantis oculum applicatam, ophthalmiam gonorrhœicam non procreare. Quod argumentum experimenta nonnulla, quae *Vetch*¹ instituit, affirmare videntur. Mucus ex oculo ophthalmia blennorrhœica laborantis sumtus in ipsius urethram applicatus morbum nullum incitavit, idem mucus vero in alias urethram inductus gonorrhœam virulentam provocavit. Quod *Vetch* ex hoc experimento concludit, materiem gonorrhœicam ex urethra in ejusdem individui oculo ophthalmiam non causare, probabile quidem videtur, sed, ut *Lawrence*² optime adnotat (l. c. p. 30), omnino non est necessarium. Quamquam purulenta oculi secretio urethram non inficit, tamen ex hoc non licet concludere, oculum a materie gonorrhœica ex urethra non affici. *Vetch* serius observat³, assistentem clinicum, nomine *Smith*, cum materie gonorrhœica, e propria urethra sumta utriusque oculi conjunctivam tetigisse eamque nihilo secius ab ophthalmia gonorrhœica integrum mansisse. Quae observatio conclusionem priorem magis probabilem reddere videtur, tametsi singula et sola omnino non sufficiens probandi fundamentum in se continet. Contra plures alii observatores multiplici

¹ Loc. cit. p. 242.

² „These morbific influences,“ dicit *Lawrence* p. 30, „are not in all instances reciprocal: inflammation of the urethra often causes inflammation of the testicle, but the latter seldom or never produces the first.“

³ loc. cit. p. 243.

experientia ducti ac edocti sufficienter demonstrant, a materie gonorrhœica in ejusdem individui oculum applicanda ophthalmiam gonorrhœicam esse provocatam. *Astruc*¹, *Foot*², *Wardrop*³, *Lawrence*⁴, *Macilwain*⁵ et *Mackenzie*⁶ hujusmodi casuum exempla observarunt, quae hanc infectionis rationem sufficienter probant. *Van Swieten*, *Chandler*, *Hecker*, *Swediaur*, *Girtanner*, *Richter*, *Fritze*, *Reil*, *Mueller*, *Beer*, *Scarpa*, *Walther*, *Benedict*, *Vering*, *Dupuytren*, *Rosas*, *Jüngken* atque *Bonorden* et propriis et aliorum observationibus ducti hunc ophthalmiae gonorrhœicae nascendae modum quoque affirmant. — Duae vero adesse videntur causae, quibus fit, ut ophthalmia gonorrhœica, tametsi aegri gonorrhœa virulenta laborantes immunditiae humili adsueti huic infectioni locali maxime expositi sunt, comparete rarissime hoc modo exoriatur. 1) Cuique, propriam conjunctivam digitis tangere, difficile est, quod palpebrae digitos intrantes avertunt. 2) Oculorum innata aut acquisita irritabilitas atque debilitas ophthalmiae gonorrhœicae ortum praeprimis adjuvare videntur. Qui oculorum status est dispositio morbosa, quae infectionem gonorrhœicam faciliorem reddit. Qua dispositione vero absente aut minori gradu existente, infectio rarer ac difficilior evadit.

Nunc ad alteram infectionis rationem venimus. Observationibus variis, a medicis magnae auctoritatis institutis, sat comprobatum est, materiem gonorrhœicam ex urethra secretam, *alius* individui oculum contagiose imbuere valere. *Lawrence*, qui hunc infectionis modum nunquam observasse

¹ De morbis venereis. Parisiis. Edit. secunda. Tom. I. p. 295.

² A treatise on lues venerea. London 1820. p. 98.

³ conf. *Lawrence* l. c. p. 31.

⁴ op. cit. p. 70. Cas. IV, et Cas. VIII.

⁵ conf. *Lawrence* l. c. p. 101. cas. XIV.

⁶ A practical treatise on the diseases of the eye. London 1832.

declarat, duos sequentes casus, a *Wardropio* observatos enarrat¹. Matrona cum panno linteo, quo ejus filius, gonorrhœa laborans paulo antea usus est, vultum suum lavit, ex quo ophthalmoblenorrhœa gonorrhœica, quae per dies paucos oculorum unum delevit, mox intravit. Altero in casu femina, quæ pannos linteos materie gonorrhœica contuminatos lavabat, paucis horis post ab ophthalmia gonorrhœica correpta est. *Delpech*² casum sequentem memorat: Virgo adolescens et sana cum spongia, lavando serviente, aqua Goulardi tincta, quam juvenis, gonorrhœa laborans prius in usum vocaverat, oculos lavit. Mox deinde secuta est ophthalmia vehemens, quæ, oculo uno perditio, velociter finem cepit. *Bacot*³ per tres casus clarissime demonstravit, ophthalmiam gonorrhœicam materie gonorrhœica, ab alio sumta, proxime inoculanda exoriri. — Mucum etiam ophthalmia gonorrhœica laborantium oculis defluentem, in alterius oculum applicatum, eandem ophthalmiam progignere posse, observationibus hinc inde memoratis confirmatum habemus. *Allan*⁴ casum sequentem enumerat: Vir quidam, qui uno tempore cum fratre suo, ophthalmia gonorrhœica laborante, eodem linteo manuali usus erat, tanta vehementer ophthalmia affectus est, ut oculorum unus plane extingueretur. *Mackenzie*⁵ etiam casum similem memorat. Adolescens, septemdecim annos natus gonorrhœa laborans, ophthalmia gonorrhœica correptus est. Paulo post frater ejus demum quatuordecim annos natus, qui gonorrhœa omnino non ægrotabat, eadem ophthalmia affectus est. Quæ

¹ *Lawrence*, op. cit. p. 33.

² *Chirurgie clinique de Montpellier*. T. I. p. 318.

³ *Observations on Syphilis*. London 1821. p. 132.

⁴ *System of pathological and operative Surgery*. Edinburgh 1819. Vol. I. p. 153.

⁵ loc. cit.

infectio cum linteui manualis ope, aut aliis rebus, a fratre tactis, verisimiliter inducta est.

Mucum purulentum, durante ophthalmia gonorrhœica e conjunctiva secretum, alius individui urethram contagiose imbuere posse, ex hujus muci inoculatione, a *Vetch*¹, Doc-tore, bono successu instituta, sat sufficienter elucet. Etiam *Schoen*² vidit, mucum ex ophthalmia gonorrhœica laborantis oculo effluxum, cereoli ope in alius hominis sani urethram inductum, nonnullis post diebus, modica dysuria apparente, effluvium gonorrhœicum progenuisse. — Hunc vero mucum, ophthalmia gonorrhœica laborantis oculo defluentem, in ipsius individui urethram inductum, vi contagiosa pollere, multiplicatis experimentis bene peractis, quibus gonorrhœa suppressa per istius applicationem saepius iterum revocata est, sat confirmatur. In aegro, ophthalmia gonorrhœica la-borante, qui accuratori curae meae deditus erat, per mucum ex ipsius oculo secretum gonorrhœam, antea penitus de-pressam, bono cum successu denuo revocare ipse adspexi; quod et alias in aegro alio observavi. Quem mucum, du-rante ophthalmia gonorrhœica, secretum et in ejusdem aegri oculo integro contagiosam suam indolem manifestare, hu-cusque, quantum mihi notum est, proprio experimento non est comprobatum, ex analogia vero magnam rei verae si-militudinem habet. — Memoratione dignum est, mucum, oph-thalmia recens natorum perdurante secretum, adulti hominis oculo applicatum ophthalmoblenorrhœam, ophthalmiae go-norrhœicae simillimam provocare pollere. Quod phænomenon magnam utriusque ophthalmiae analogiam aperte ostendit. *Fischer*³ tres memorabiles huc pertinentes casus memoriae

¹ loc. cit. p. 242.

² Nosologisch - therapeut. Darstellung der gonorrhœischen Augen-entzündung. Hamburg 1834.

³ Klinischer Unterricht in der Augenheilkunde. Prag 1832. p. 115 sqq.

prodit. Homines, qui infantes, ophthalmia neonatorum laborantes, curabant, et cum muco effluente proprios oculos imbuebant, ab ophthalmoblenorrhoea vehementer, ophthalmiae gonorrhœicae simillima affecti sunt. *Lawrence*¹ etiam casum huc pertinentem memorat. Practicus clinicus infantis, ophthalmia neonatorum laborantis, oculos injectione purgare studens, oculum dextrum fluidi retro spargentis paullulum intravit. Vespera tertia aut quarta majori gradu photophobia, dolor vehemens, vigilia apparuere, paulo post ophthalmia purulenta in conspectum venit, quae, tametsi statim morbo ingrediente apta ac efficacissima remedia in usum vocarentur, corneam plane opacam ejusque cum palpebra superiori adhaesionem relinquens infelicem finem cepit. —

Ophthalmiam gonorrhœicam, topice inficiendo excitatam plerunque multo mitiorem esse, quam illam per metastasim productam, jam *P. Frank, Beer, Scarpa, Walther, Benedict* et alii observarunt. Ophthalmia gonorrhœica, infectione orta, inquit *Walther*², est morbus parvi momenti; conjunctivae enim pars minor membranae mucosae structuram habet, quam ut infectio primaria cum materiae gonorrhœicae ope veram gonorrhœam progignere possit. Experientia contra docet, saepius, multis in casibus eam quoque morbum acutissimum et valde delentem se ostendisse, quod e casibus, quos *Lawrence* memorat, imprimisque e casu quarto³, quo uterque oculus extinctus est, dein e casu decimo quarto⁴, quo oculorum alter destructus est, et e casu octavo, quo alterius oculi cornea sphacelosa evasit, sat sufficienter liquet. *Wardrop*⁵, etiam duos ejusmodi casus infaustos observavit. Sic et

¹ op. citat. p. 71. Cas. V.

² Abhandl. a. d. Gebiete d. prakt. Medicin. Landshut 1810. B. I. p. 454.

³ loc. cit. p. 70.

⁴ loc. cit. p. 101.

⁵ conf. *Lawrence*, op. citat. p. 31. et p. 33.

Foot (loc. cit.) casum enarrat, quo ophthalmia gonorrhœica acuta, per infectionem acquisita, corneae obscuratione et visu plane perdito, finem fecerit. — Proinde ab ophthalmia gonorrhœica inficiendo inducta, non semper totum oculorum *unus* affectus est, sed casus plures innotuerunt, in quibus utriusque oculi paene uno tempore major minorve inflammatio gonorrhœica apparuit. *Astruc, Wardrop, Dupuytren*¹ et *Lawrence* hujusmodi casus memorant.

II. Metastasis.

Plures medici, in primisque *St. Yves*², *Erndtelius*³, *Plenk*⁴, *Louvrier*, *Ware*, *Plisson* metastasim unicam ophthalmiae gonorrhœicae causam arbitrabantur, alii vero, ut *Spangenberg*⁵, *Baratta*, *Wardrop*⁶, *Travers*⁷, *Lawrence* et *Middlemore* ortum ophthalmiae gonorrhœicae metastaticum partim dubitarunt aut plane negaverunt. Rationes vero, quas enumerat *Lawrence* ad confirmandam suam opinionem, ut mihi videtur, non sufficiunt, nec ut eam verisimilem, nec ut ophthalmiam gonorrhœicam metastaticam dubiam reddant. Quodsi *Lawrence* in casibus suis observatis urethrae effluvium nunquam plane suppressum vidi, ex hoc omnino non sequitur, gonorrhœae metastasim ad oculum nullum ex-

¹ vid. la Clinique. Février 1829. Tom. II. Nr. 77.

² Traité des maladies des yeux. Paris 1722. part. 2. Chap. 4. article 10. p. 188.

³ Varsavia, physice illustrata etc. Dresdae 1730. cap. 6. p. 193 sqq. conf. *Trnka* histor. ophthalmiae. p. 62.

⁴ loc. citat. p. 81.

⁵ *Spangenberg* (*Horn's Archiv* B. XII. p. 272) primus affirmabat, opinionem eorum, qui ophthalmiam gonorrhœicam per metastasim inductam adoptant, in errore et argumentatione fallaci esse fundatam, sed rationes, quas adponit, argumentum sufficiens non praebent, et a multis experientiis quae originem ophthalmiae gonorrhœicae metastaticam manifestant, certe confutantur.

⁶ vid. the Lancet. Octob. 1827. p. 47—48.

⁷ vid. London med.-chir. Review. 1829. p. 328—30.

stitisse. E metastaseos theoria enim, ut *Schoen* recte adnotat, sufficienter liquet, organi functionem morbosam vicariam plenam fieri posse, quin simulque primaria, sed imminuta, perduret. Sententia medicorum, qui contendunt, ophthalmiam gonorrhœicam non apparere, cum urethrae effluvium vel remediis chirurgicis ineptis adhibitis, vel aliis influxibus nocentibus accidentalibus supprimeretur, est falsa et a pluribus contrariis observationibus plane refutata. *Astruc*¹, *Sauvages*², *Hecker*³, *Girtanner*⁴, *Richter*⁵, *Scarpa*⁶, *Beer*⁷, *Flemming*⁸, *Wetzler*⁹, *Benedict*¹⁰, *Stoeber*¹¹, *Lusardi*¹² et plures alii magnae auctoritatis medici hunc ophthalmiae gonorrhœicae nascendae modum affirmant. Quodsi autem non omnem gonorrhœam suppressam, imo vero, quod magnam gonorrhœarum depressarum multitudinem, raro ophthalmia gonorrhœica insecuta est, hoc a propriis aegri vitae rationibus dependere videtur. Ad excitandam nempe gonorrhœae metastasim ad oculum duae praecipue requiruntur conditiones.

1. Effluvium urethrae mucosum aut plane suppressum aut magis minusve imminutum sit, oportet.

2. Congenita aut acquisita ad ophthalmiam *dispositio*,

¹ De morbis venereis. Edit. 2da. lib. III. cap. 3.

² Nosologia methodica. Tom. II. p. 65.

³ Theoret. prakt. Abhandl. über den Tripper. Leipzig 1787. p. 160.

⁴ Abhandl. über vener. Krankheiten. Göttingen 1788. B. I. p. 143.

⁵ Anfangsgründe der Wundärzneikunde. B. III. §. 57.

⁶ Saggio di osservazioni e d'esperienza sulle principali malatti degli occhi. Pavia 1801. p. 94.

⁷ Lehre von den Augenkrankheiten. B. I. §. 533.

⁸ Hufeland's Journal der prakt. Heilkunde. Mai 1812. p. 47 — 48.

⁹ Harless, neue Jahrbücher der deutschen Medicin u. Chir. B. XII. St. 1. p. 107 — 114.

¹⁰ Handb. d. prakt. Augenheilkunde. Leipz. 1822—25. B. II. §. 492.

¹¹ Manuel pratique d'Ophthalmologie. Strasbourg et Paris 1834. p. 232 — 233.

¹² Archives générales de Médecine. Tom. 17. 1828. p. 598 — 599.

quam **Scarpa**¹ in hoc casu recte nominat *sensibilitas consensualis*, praevaleat praecipue necesse est. — Quae morbosa diathesis vel peculiari oculorum constructione fundatur et praevalente oculi vasorum evolutione, quae in primis in conjunctiva, primaria hujus ophthalmiae sede, obvenit, diagnoscitur, vel in hominibus, priori jam tempore ophthalmia, praecipue ophthalmia scrophulosa, laborantibus in apertum venit, vel durante gonorrhœa a potentissimis nocentibus externis, oculum directe affidentibus, provocatur. Quae sunt: oculorum irritatio nimia, quae fit continua in legendō intensione, refrigerium, praegresso oculorum aestu, aër frigidus et humidus, vulnus oculi, ictus, corpora aliena etc.

Blennorrhœae urethralis suppressionis seu imminutionis causae sunt aut generales, sicuti vehementes corporis commotiones, quae saltando, equitando, vehiculo vehendo, coendendo, balneis universalibus, magno vitae regiminis vitio etc. accidunt; aut locales, ut injectiones frigidis et adstringentibus fluidis compositae, partium genitalium lotio cum aqua frigida, genitalium refrigerium, illigatio penis stricta etc. Ophthalmia gonorrhœica per metastasis certa majori minorive phaenomenorum intensitate, qua ophthalmoblennorrhœa semper se manifestat, et post gonorrhœae suppressionem aut imminutionem vel statim vel plures horas, imo interdum dies post in conspectum venit. Symptomata, quae incipiente ophthalmia, in genitalibus se manifestant, ut ex memoratis elucet, variant. Aut summus urethrae inflammationis gradus adest, et hinc inde perfecta effluvii mucosi suppressio (gonorrhœa sicca), aut urethrae inflammatio cum muci effluvio evanuit. Sin illud obvenit, omnia vehementis genitalium

¹ loc. cit. pag. 95. il quale effetto (*i. e. gonorrhœae metastasis ad oculum*) se non si manifesta in tutti i casi di soppressione improvvisa di gonorrea, egli è perchè non tutti gli individui sono dotati de medesimo grado di *sensibilità consensuale*.[“]

inflammationis symptomata reperiuntur, sin autem hoc in apertum venit, urethritis phaenomena vel maxima parte vel plane cessant. Praeterea, ut ante dictum est, effluvium mucosum urethrale etiam perdurante ophthalmoblenorrhoea gonorrhœica metastatica, sed gradu minori adesse potest, quod in casibus a *Lawrence* observatis occurrit. Quo in statu genitalium inflammationis symptomata quoque imminuta sunt, attamen, ut effluvium, non plane evanuerunt. — Oculi inflammationis intensitas partim a variis genitalium statibus, partim autem ab aegri constitutione dependet. Quae ophthalmia, suppressione gonorrhœae perfecta et unacum urethritide plane sublata maxime devastans existit. Homines, constitutione robusta et dispositione synochali praediti, praesertim qui et prius ophthalmia laborabant, plerumque ab ophthalmia gonorrhœica, per metastasim inducta, vehementissime arripiuntur. Oculorum plerumque unus ab ophthalmia gonorrhœica afficitur, tum integer manet alter. Inflammatio interea paucis post diebus saepe etiam alterum afficit oculum, in quo minus vehemens fieri solet. Interdum autem oculo serius affecto per eandem vehementiam idem periculum minatur inflammatio. *Oculus dexter* ab ophthalmia gonorrhœica plerumque primo afficitur, multo rarius oculus sinister primo inflammatur. In quatuordecim casibus, quos ego observavi, oculus dexter ~~vel~~ solus vel saltem primo affectus erat¹. Ophthalmia gonorrhœica per metastasim orta

¹ *Rosas* in ophthalmia quoque recens natorum oculum dextrum seu primo seu solum affectum observasse affirmat. Contra plures medici in aliis ophthalmiis oculum *sinistrum* multo frequentius quam oculum dextrum primo affectum esse observabant. Nonnulli hoc momentum majori sanguinis quantitate, quam pars cephalica sinistra accipit, explicare student. Arteria carotis sinistra nempe originem dicit ex arcu aortae et non, ut carotis dextra, ex arteria subclavia. (vid. Sammlung auserlesener Abhandl. z. Gebrauche prakt. Aerzte. Bd. II. St. 2. p. 11. Anmerkg. et *van der Haar*, über die Beschaffenheit d. Gehirns nebst einem Anhang med. chir. Beobacht. a. d. Holländ. v. *Keup*. Stendal 1794. p. 110.)

in maribus multo frequentius, quam in feminis observatur. Quae res causam suam praecipue in eo habet, quod gonorrhœa a vaginae membrana mucosa, quae magnam suppeditat superficiem, non tam facilis, quam a sensillima, minus extensa urethrae masculinae membrana mucosa possit removeri¹.

III. Consensus inter membranam urethrae mucosam et conjunctivam.

Membrana conjunctiva cum membrana mucosa urethrae et vaginae mutuum consensum ostendit, qui ex hoc elucet, quod harum partium affectiones morbosae interdum per metaschematismum in membranam conjunctivam transferuntur. Sic effluvia mucosa catarrhalia, arthritica, gonorrhœica et urethrae et vaginae in membranam conjunctivam transeunt. Structurae partium consensio, quae inter conjunctivam, praeprimis conjunctivam palpebralem et inter urethrae et vaginae membranam mucosam observatur, est ratio praecipua, ut ophthalmia gonorrhœica etiam sine infectione aut metastasi provocetur. Lex enim organismi corporis humani est: „Easdem per causas in formis organicis similibus etiam similes affectiones morbosas excitari.“ Ophthalmia gonorrhœica per consensum in iis praecipue casibus exoriri solet, quibus diu perdurans gonorrhœa seu leucorrhœa virulenta male disposuerit conjunctivam, eamque ita sensibilem redderit, ut

¹ Ophthalmoblenorrhœae casus in feminis ex leucorrhœae suppressione per metastasim orti jamjam ab *Alex. Camerario* observati sunt. Etiam *Hennemann* (Beitraege Meklenburg. Aerzte zur Med. und Chirurg. Rostock u. Schwerin 1830. B. I. Hft. 1. p. 164—167.) ophthalmiae gonorrhœicae casum in femina, per metastasim inductum enarrat, qui, utroque oculo omnino destructo, tristissimum finem cepit. Casus similis est commemoratus in „The London medico-chirurg. Review. Jan. 1830. p. 196.“ Ego quoque ophthalmiam gonorrhœicam metastaticam, leucorrhœa virulenta suppressa in Clinico Josephini ophthalmiatrico Viennæ anno 1835 observavi. Quam ophthalmiam in oculo dextro primum affecto partialis corneæ sphacelus et iridis prolapsus secuti sunt.

a momentis externis etiam a minimis afficiatur. Cum partium similarium consensus in homine quoque alio aliis est, etiamque ad tempus augetur, ex his satis elucet, cur ophthalmia gonorrhœica per consensum in quibusdam individuis solum vel certo tempore progignatur. Observantur casus memorabiles huc spectantes, in quibus ophthalmia gonorrhœica et gonorrhœa virulenta per vices in apertum veniunt. Quae observatio utriusque morbi affinitatem manifestat, praeterea docet, morbum alterum in alterum vicissim etiam sine metastasi immutari posse. Casum similem, quo mutuus inter conjunctivam et genitalium membranam mucosam consensus apparebat, observavit *Fischer*¹. In infante, sex hebdomades nata ophthalmia neonatorum cum effluvio mucoso per vaginam pluries alternabat.—Infectione et metastasi igitur ammotis, gonorrhœa virulenta per solum partium consensum in membranam conjunctivam transferri potest.

Quodsi ophthalmia gonorrhœica per consensum oritur, urethrae effluvium plerumque idem manet, morbus ab organo primarie affecto sensim sensimque ad partes per structuram similes, ad conjunctivam palpebrarum, interdum ad conjunctivam bulbi progreditur, dum in urethra non multum mutatur. In aliis casibus effluvium mucosum ex urethra per nonnullos dies valde imminutum est, vel plane cessavit, dum morbus consensualis in conjunctiva apparebat. Quod præprimis accidit, si gonorrhœa per plures hebdomades durans decursum suum normalem finivit. Ex quo processus morbosus blennorrhœae urethrae analogus, in membrana conjunctiva palpebrarum initium capit. Venenum gonorrhœicum vero commoratione in organismo nimis longa et excretione continua per urethrae membranam mucosam multo minus efficax factum esse videtur. Qua de causa ophthalmia gonorrhœica per consensum orta plerumque est solum blennorrhœa

¹ op. cit. p. 127.

palpebrarum (blepharoblenorrhoea gonorrhoeica), et raro obser-vantur casus, in quibus ophthalmoblenorrhoea in apertum venit et tanta vehementia ac pernicie persistit, quanta in ea per metastasin et interdum per infectionem localem progigni soleat.

Prognosis.

Ne unus oculorum morbus tam celeriter decurrit et oculum ipsum simulque magis devastat, quam ophthalmia gonorrhoeica. Quae ophthalmia sine dubio omnium pericu-losissima ac dolorosissima est. Periculi magnitudo interea generaliter ab inflammationis et intensitate et extensitate, praecipue autem a *corneae statu* dependet. Quodsi pro-cessus morbosus in corneam transivit et in ea ita viget, ut lamina conjunctivalis jam devastata perspiciatur et ceterae corneae laminae languidum, praesertim autem maxima parte nebulosum adspectum praebeant, tum earum texturae et structurae conservatio plurimis in casibus speranda non est. Attamen *Lawrence*¹ pluries observavit, sphacelatione corneae partiali jam incepta facultatem videndi seu partim, seu totam esse restitutam; imo vero et extensa ulcera corneae ita sa-nari, ut videndi facultas non valde imminueretur. Corneae vis reproductiva in casibus hujuscemodi saepe ita adaucta est, ut ulcera profunda ipsa et lata iterum substantia or-ganica impleantur, et tantum pelluciditatis gradum, quo incidentes lucis radii parum impediuntur, accipient. Facultas videndi interea irreparabiliter ammittitur, si perfecta cor-neae sphacelatione ingressa, rhesis oculi secuta est. Quo in casu collapsus completus seu phthisis bulbi inevitabilis adest.

Qui videndi facultatem devastans processus morbosus imprimis grassatur, si ophthalmia gonorrhoeica per me-tastasim et totale gonorrhoeae suppressionem orta est. In hujuscemodi casibus valdissime medendi ratio, etiam in

¹ op. cit. in cas. VIII. IX. XI. XIII. et XIV.

morbi exordio instituta, nil valet¹. Melioribus quoque conditionibus artis conamina morbum perniciosum non semper superaverunt, qui contra remediorum ad tempus adhibitorum validitatem magnificentissimum corporis humani organum paucis post diebus destruit, et paene omnem ejus organisationem extinguit. — Quodsi uterque oculus per successiōnem arripitur, tum serius affecti oculi morbus plerumque mitior et minus perniciosus, quam ille oculi primo arrepti. Sin etiam oculus ab initio morbo correptus perditur, attamen saepissime postea affectus conservatur. Nonnunquam autem in utroque oculo morbi perniciosi decursus pariter vehemens et devastans existit, quod in casu a me Viennae observato factum est.

Medendi ratio.

Indicationes generales.

1. Prae omnibus remediis antiphlogisticis inflammationi impugnandum est.
2. Effluvium mucosum urethrale suppressum restituatur, oportet.
3. Muci secretio e membrana conjunctiva, quantitate adiecta et qualitate mutata coercenda est.
4. Membranae conjunctivae processus vegetationis adiectus restringatur, necesse est.

Quum ad sanationem felicem maximi momenti est, varia ophthalmiae gonorrhœicae stadia accurate respicere, diligensque examen et judicium signorum pathognomicorum, medicum in elegendis remediis ducat, oportet, rationem medendi, quomodo in tribus stadiis, quae in symptomatologia memoravi, postulatur, expositurus sum.

¹ Prognosis, dicit *Benedict*, (l. c. §. 506.) porro magis fausta adest, si medicus sub initio mali accessitus gonorrhœam suppressam citius poterat revocare, praesertim muci secretione in oculum nondum incepta. Etenim citius tunc ophthalmia sanatur.

CURANDI METHODUS IN STADIO PRIMO. Medici multi, praesertim tempore priori viventes, vigente ophthalmia gonorrhœica per metastasim orta, malum oculi locale nimis parum respexerunt atque paene omnem attentionem et operam ad provocandam gonorrhœam depressam adhibuere, et ante gonorrhœam provocatam parum aut omnino nihil contra malum vicarium in oculo ipso in usum duxerunt. Unde eorum curam tot infelices exitus consequebantur. In curanda ophthalmia gonorrhœica quocunque modo orta sit, p[re]ae omnibus *remediis antiphlogisticis efficacissimis* oculi inflammatio minuenda, et si potest fieri, tollenda est. Quodsi vehemens ophthalmiae gonorrhœicae gradus adest, tum sine ulla mora instituenda est venaesectio, quae in brachio ejusdem lateris, cuius oculus primum inflammatione affectus est, optime perfici potest.¹ Quantitas sanguinis, e vena brachiali ex apertura sat ampla emissi, saltem quatuordecim usque ad sedecim uncias impletat. Quae venae sectio quoad effectum et morbi statum etiam repeti potest, interdum, si magna inflammationis intensitas adest, ter quoque secetur vena, quod autem raro in usu necessario invenitur. Interea minime commendari meretur, tantum sanguinis venis emittere, quantum *Bacot* et *Wardrop* (qui per paucos dies 170 uncias detraxit!) evacuare solebant. Praeterea validam venaesectionem sanguinis evacuatio localis instituatur, oportet. Hirudines duodecim, sedecim usque viginti circa tempora, retro aures seu in regione supraorbitali adponantur. Sanguinis emissio, quae hirudinibus ammotis sequitur, tamdiu, quamdiu potest fieri, foveatur. Quae sanguinis evacuatio localis, quomodo usus et res postulant, etiam pluries perfici potest. Praeterea oculo inflammato fomenta frigida, egelida, glacalia per vices frequentes continue imponantur. Magnum emolumentum etiam

¹ Arteriotomia, quae in arteria temporali fieri solet, quoad effectum venae sectioni non potest aequiparari.

derivantia valida, ut vesicans cervici impositum¹, pediluvia valde irritantia, sinapismi in suris et plantis, aegro periclitanti praestant. Vitae regimen sit tenue et in omni re antiphlogisticum. Cubiculum, quo aeger versatur, calore sit temperatum, ejusque lumen valde minutum.

Ad usum internum aegro laxantia antiphlogistica, ut sal Glauberi, sal amarum, kali aceticum etc. praescribuntur; clysmata ex natrio chlorico parata etiam bene conferunt. Magnae calomelis doses usque ad copiosam alvi depositionem et salivationem, quae addita magnesia carbonica facile et breve per tempus provocatur, aegro praebeantur. Quodsi aegri exhausti et invalidi sunt, tum in calomelis usu magna cautio adhibenda est, et in hujuscemodi casibus aut in minoribus inflammationis gradibus rectus ejus usus plane non conceditur; et in ejus loco alia ponantur remedia laxantia, ut infusum sennae cum sale amaro vel sale Glauberi, aqua laxativa Viennensis, praeterea decoctum graminis cum arcano duplicato et mellagine graminis, pulvis radic. rhei et jalappae etc. Tartarus stibiatus dosi refracta usque ad nauseam sumtus casu in hoc magni erit emolumenti. Methodus antiphlogistica hic summatim circumspecte adhibenda, et venaeseccio non, nisi summa urgente necessitate, perficienda est. Quare primam post venaesectionem sanguinis evacuatio localis sufficiat. Adhuc fomenta egelida, derivantia externa, vesicantia, pediluvia irritantia hic quoque optimum praestant officium.

Praeter hanc methodum antiphlogisticam *simulque* videntur est, quomodo processus morbosus ab organo vicario ad primariam sedem reduci possit. Huic indicationi ut satisfaciamus, praे omnibus urethrae status respiciatur, necesse est. Qui urethrae status, quod in aetiologya exposui, triplex esse potest.

¹ Spangenberg vesicans magnitudine floreni dimidii regioni supraorbitali imposuit et epidermide remota cuti unguentum neapolitanum applicavit.

Quodsi effluvium gonorrhœicum a summo urethrae vel vaginae inflammationis gradu suppressum est, et unacum lancinantes ac urentes dolores in urina emitenda apparent, erectiones penis dolentes perdurant, tum pœrimis remedia, quae urethrae inflammationis vehementiam minuunt ac mitigant, et hac ratione membranae mucosae secretionem suppressam restituere valent, in usum vocantur. Quare hirudines perineo, cucurbitae cruentae lateribus lumborum internis imponantur, fomenta tepida seu cataplasma, herbis narcoticis parata, ut ex herba hyoscyami, cicutæ etc., genitalibus admoveantur. Magnæ utilitatis etiam balnea vaprosa reperiuntur. Praeterea clysmata relaxantia, oleosae tepidae in urethram vel vaginam injectiones malum inflammatorum valde minuere valent. — Effluvio mucoso, et membranae mucosae urethrae vel vaginae inflammatione suppressis, et omni morbo per metastasim ad oculos a genitalibus plane ammoto, tum specificus morbi processus quam celerrime ad sedem primariam reducatur, oportet. *Lange*¹ memorabilem enarrat casum, quo magnum celerrime revocatae gonorrhœæ effectum demonstrat; quare hic locum meretur.

„Lanio ex gente rasciana gonorrhœa laborans aliquot uncias olei terebinthinae hausit, ut sibi gonorrhœam curaret. Suppressa gonorrhœa subito vehementissima ophthalmia gonorrhœica utriusque oculi afficitur. Chirurgus qui me hac de re consuluit, aegroto gonorrhœam ope candelulae infectæ inoculare tentavit, at aegrotus id non admisit, dicens se leniori via sibi revocaturum esse gonorrhœam, adiit ideo eandem, a qua gonorrhœam obtinuit, meretricem, ac altero jam die profusissima gonorrhœa laborabat, oculi inflammatio remisit, et solo interno usu mercurii gummosi intra sex hebdomades ab utroque vitio perfecte curabatur.“

¹ Commentatio de ophthalmia. Tyrnaviae 1777. p. 75. *Plenck* loc. cit. p. 83. Adnotatio.

Restitutio gonorrhoeae suppressae, dicit *Benedict*¹, primum et maxime necessarium erit remedium ad hujus mali sanationem. Aptissime et ratione maxima secura nova gonorrhoeae per mucum venereum insitione per cereolum, quem gonorrhoeicus in urethra gesserat, facto hoc peragitur².

Quodsi vero cum materie gonorrhoeica aliena insitio fieri non potest, irritantibus, urethrae applicatis remediis gonorrhoeam restituere tentetur. Ad restituendam gonorrhoeam, ut *Juengken*³ confirmat, injectiones, ex solutione tartari emetici (gr. ij — IV in aq. destill. uncj.) paratae, pluries de die repetitae certissime ac aptissime conducunt. Quibuscum et balnea tepida localia et semibalnea conjungantur. *Schoen* prae omnibus remediis applicationem cereoli, unguento praecipitati rubri seu lapidis infernalis bene illiti, commendat. Cereoli, intensa sublimati vel kali caustici solutione induti hunc ad finem quoque possint adhiberi. Non minus hujus solutionis injectiones hic conferunt. Quodsi progrediente ophthalmia ex membrana conjunctiva jam secernatur mucus gonorrhoeicus, tum cum eodem muco tentanda est gonorrhoeae inoculatio. In casibus duobus, quos ipse observavi, muco e conjunctiva secreto urethrae applicando gonorrhoeam suppressam restituere potui⁴.

¹ loc. cit. §. 506.

² „Quum in praxi privata non semper habetur virus gonorrhoeicum virulentum, hinc suadente cel. *Lange* (loc. cit. p. 75), servabantur septem candelulae bombice et viru venereo imbutae per 4 — 5 menses in vitro bene obturato.“ *Plenk* loc. cit. p. 55. et ibid. p. 83. „Quid gonorrhoeae inoculatio, ope candelulae, pure gonorrhoeico maligno illitae et urethrae imissae, ad revocandum in hoc morbo valeat, tentandum est.“

³ *Lehre von den Augenkrankheiten*. Berlin 1831. p. 351.

⁴ Etiam *Stoeber* (loc. cit. p. 235) inoculationem cum muco gonorrhoeico ex oculo fluente instituere suadet, dicens: „Dans les cas où l'on ne peut se procurer de ce virus (i. e. matières gonorrhœica aliena) on enduit la bougie de la matière purulente qui s'écoule de l'œil et qui jouit également de la propriété contagieuse quoique à un moindre degré.“

Effluvio gonorrhico solum immunito, fomentationibus calidis seu cataplasmatibus, quae genitalibus imponuntur, muci secretio augeri et diligenter sustentari potest. Quo modo fit valida ab oculis derivatio.

Si conjunctiva scleroticae jam ita intumescit, ut cornea in foveam quasi depressa appareat et conjunctiva ipsa plicarum instar inter palpebras protrudatur, medici plures, ut *Erndtelius*¹, *Astruc*², *Swediaur*³, imprimis vero *Camerarius*⁴ et *Spangenberg*⁵, hanc membranam circa corneam excidendum suadent. Huic encheiresi interea plura et gravia opponere valemus. — Membranae conjunctivae enim excisio, quae in circuitu tam magno peragenda est, ut omnis morbosae secretionis sedes plane extirpetur, maximis promittur difficultibus, et operationibus, quae paene perfici non possunt, adnumeranda est. Sin autem organum vicarium, mucum secernens, omnino tolli possit, attamen peculiaris morbi processus, cuius effluvium mucosum nil, nisi symptomata est, parte conjunctivae ademta, certe remanet, atque haecce encheiresis ominosa oculi perniciem verisimiliter acceleret. Ad minorem etiam membranae conjunctivae ambitum excidendum magna dexteritas et exercitatio postulantur. Quae operatio praeterea oculo valde inflammato magnum minatur periculum, et, ut *J. J. Plenk* jam adnotavit, nihil juvet, sed inflammationem adaugeat, ac oculi perniciem adducat⁶. In unico hoc casu,

¹ loc. cit. p. 193.

² loc. cit. lib. III. cap. 3.

³ Traité complet sur les symptômes, les effets, la nature et le traitement des maladies syphilitiques. Paris 1796. Versio german. ab *J. Eyerl.* Wien 1798. B. I. p. 134.

⁴ Dissertatio de ophthalmia venerea et peculiari in illa operatione. Tubingae 1734; in *Halleri* disputationum medico-practicarum Tomo primo.

⁵ loc. cit. p. 272 Excisa ophthalmoconjunctiva tumente scarificationem quoque conjunctivae palpebrae inferioris instituit.

⁶ „Ophthalmoscysis et conjunctivae excisio“, dicit *Plenk* (l. c. p. 83), „nihil juverunt. Ego multos cum hac methodo excoecatos vidi.“

quo singulae farciminiformes plicae inter palpebras prominentes compressione, quam tumescentes palpebrae faciunt, continue irritantur, et hoc modo inflammatio unacum increscit, conjunctivae compressae partis excisio commendanda est.¹

CURANDI METHODUS IN STADIO SECUNDO. Ab initio hujus stadii methodus antiphlogistica, imprimis sanguinis evacuatio localis frigidaque fomenta in usu maneant, necesse est. Quod praecipuum necessarium est, si dolores in oculo et in regione supraorbitali perdurant, palpebrae adhuc valde tument, et muci secretio parca appareat. Interdum et in hoc stadio fomenta frigida non amplius bene feruntur, quo saepius fomentationes tepidae relaxantes, ex decocto herbae malvae et capitum papaveris dolorem valde minuunt, et palpebrarum intumescentiam minorem reddunt. Quodsi vero copiosa fieri coepit muci secretio, et vehementia in stadio primo praesentia inflammationis symptomata pedetentim evanescunt, prae omnibus *quantitate et qualitate mutatae muci secretionis suppressimendae indicium* adest. Ad satisfaciendum huic indicio varia remedia, quae fere omnia ad adstringentium classem pertinent, a variis auctoribus commendata sunt. His adnumerantur: fortes hydrargyri muriatici corrosivi, cupri sulphurici, lapidis divini, aluminis et argenti nitrici solutiones; praeterea unguenta adstringentia praecipitato rubro seu albo parata. In minoribus ophthalmiae gonorrhœae gradibus, praecipue in blepharoblenorrhœa gonorrhœica, infracta per methodum antiphlogisticam inflammatione, contra adgredientem muci secretionem collyrium adstringens potest adhiberi. Quem ad finem hydrargyrum muriaticum corrosivum, lapidem divinum seu cuprum sulphuricum

¹ Sequentem *Scarpæ* adnotationem quoque ad hunc casum specialem referendam esse puto. „Tanto alle recisione della conjuntiva posso assicurare che dessa è utilissima nel caso di chemosi per ottalmia di questa natura (*ophthalmia gonorrhœica*) come nelle altre.“ loc. cit. p. 95. Adnotatio 2.

cum pauxillo laudani liquidi Sydenhami aptissime in usum vocantur. *Lawrence* lapidis infernalis solutionem in hujuscemodi casibus maximo cum successu applicavit. Praeterea unguenta adstringentia ophthalmica, praecipitato rubro seu albo parata, cum floribus *Zinci*, extracto saturni vel opio permixta, quae interdum melius quam collyria preferuntur, palpebrarum marginibus illini possunt. Unguentum praecipitati rubri praesertim per noctem adhibendum est, quod palpebrarum litum maxime impedit. Vehemente et gravi ophthalmiae gonorrhœicae forma, ophthalmoblennorrhœa, remedia vix memorata plerumque non eo sufficiunt, ut bono cum successu tertiae indicationi satisfaciamus. Quo in casu multi arbitrabantur, se per conjunctivæ excisionem citum ac tutum auxilium praecipue esse praestituros. Interea jam supra memoratum est hanc operationem scopo praefixo et exspectato correspondere non posse. Scarificatio conjunctivæ plus praestare non valet. Quo in casu *opium* p̄ae omnibus aliis remediis, ut experientia docet, optimum praestitit auxilium. Inflammatione per methodum antiphlogisticam imminuta, doloribus minutis vel plane sublatis, tum tinctura opii simplex ope penecilli tenuis omni hora oculo illinenda est, oculusque ipse opii tincturæ et aquæ mixtione toties, quoties mucus accumulatus postulat, cautissime purgetur, oportet.¹ Quodsi vero dolore augendo, conjunctivæ tumore crescendo animadvertisimus, tincturam opii ab oculo non perferri, tum ejus usus cito est omittendus, et collyrium adstringens aut unguentum praecipitato rubro seu albo paratum in usum vocetur, necesse est. *Schoen* confirmat, in vehementे ophthalmoblennorrhœae forma ad muci secretionem

¹ *Dupuytren* in hujusmodi casibus paululum pulveris calomelis semel aut bis de die oculo insufflare consuevit, et laudani guttas aliquot omni vespera instillari jussit. Quam medendi rationem bono cum successu ad scopum memoratum in hoc stadio adhiberi posse *Stoeber* (loc. cit. p. 235.) affirmat.

supprimendam, laudanum liquidum Sydenhami p^ra omnibus aliis remediis officia maxima p^raestitisse. **O**mni hora (diebus primis etiam per noctem) dimidium laudani cochlear theale rimam palpebrarum infundi p^raescribit, et, si res postulent, die secundo per omne horae dimidium eandem dosim adhiberi jubet. Ad purgandum oculum p^raep^rimis aquam Conradi, vel lapidis divini solutionem (gr. *ij* in aquae destillatae unc.*j*) cum pauxillo laudani commendat. **P**raeterea oculus cum infuso chamomillae, decocto herbae malvae a secreto acri liberandus est; fomenta tepida oculo imposita, ipse injectiones mites bene conferunt.

Ad restringendum conjunctivae vegetationis processum adauctum, unguentum p^rae^ripitati albi nonnunquam bona p^raestabit officia. Quod remedium **Fischer**, professor Pragae, in ophthalmoblenorrhoeis acutis externae tume- scientium palpebrarum superficie ter, atque internae palpebrarum superficie semel de die penecilli comatosi ope ad hunc finem infricari commendat. Huic indicationi citius tutiusque respondens simulque ulcerum corneae ortum aver- tens *calx chlorata* existit, quam **Varlez**¹, Bruxellis in ophthalmoblenorrhoeis variis primus adhibuit. Calx chlo- rata in ophthalmiae gonorrhœicae stadio secundo rite adhi- bita non solum corneae peculiarem inflammationem retar- dare et extinguere ac hoc modo ulcerum corneae orien- tium conditionem tollere valet, sed etiam luxuriantem con- junctivae vegetationis processum et in ea vigentem muci secretionem cito coercere pollet. In casibus valde vehe- mentibus ab initio **15** usque ad **20** grana calcis chloratae, aquae destillatae uncia una soluta p^raescribuntur, solutio-

¹ vid. *Gerson u. Julius Magazin*. 1828. Januar u. Februar. p. 132.
Formula **Varlezii** est sequens:

Rp. Liquoris Lebarraque guttas XV.

Aq. destill. Unc. IV.

M. D. S. Quater de die guttae 3—4 oculo instillentur.

filtrata primo bis, postea ter de die penecilli comatosi ope oculo instillatur. *Herzberg*¹ in ophthalmiae gonorrhoeicae casu valde vehementer calcis chloratae drachmam dimidiam in aquae destillatae unciis sex solutam pro injectionibus et fomentis praescripsit; in ophthalmiae neonatorum casibus autem lotiones et fomentationes ex calcis chloratae solutione (drachm. semis usque ad drachmas duas in aquae destillatae unciis sex) paratas oculo applicavit. *Fischer* contra ophthalmoblenorrhoeam, quae infectione muci, ex oculo infantis, ophthalmia neonatorum laborantis, secreti orta est, drachmam dimidiam calcis chloratae in aquae uncia dimidia solutam modo memorato cum optimo successu adhibuit. In casibus ophthalmoblenorrhoeae gonorrhoeicae minus intensis 4—6 grana in aquae destillatae unciis quatuor soluta ad scopum memoratum aquirendum sufficiunt. *Jaeger*, ophthalmiatricae professor Viennae, contra valde luxuriantem conjunctivam et copiosam muci secretionem in ophthalmia gonorrhoeica dilutam calcis chloratae solutionem bono cum successu saepe adhibuit. *Bonorden*² prae omnibus aliis remediiis localibus natri chlorinici solutionem cum mucilagine gummi arabici in hoc stadio commendat; injectiones cum hac solutione institutae multis in casibus oculum conservare, ut putat, valeant. Inter horum remediorum usum derivationes ad tractum intestinalium per magnas hydrargyri muriatici mitis doses indicantur; praeterea continuus vesicantium usus, pediluvia irritantia et derivantia, et sinalpismi suris impositi magnam curae utilitatem afferunt. Simulque oculus a muco se semper denuo accumulante diligenter purgetur, necesse est. Quare palpebrae saepius invicem

¹ Observations sur l'emploi du Chlorure de chaux dans plusieurs affections gonorrhœiques des yeux. Journal complémentaire des sciences médicales. 1831. Tom. 39. p. 303—305.

² Die Syphilis, pathologisch, diagnostisch u. therapeutisch dargestellt. Berlin 1834. p. 236.

a se removeantur, ut mucus illas pone accumulatus libere possit effluere. **Oculus** praeterea quam saepissime decocto mucoso, paribus herbae malvae et capitum papaveris partibus parato, purgetur, oportet. Cui decocto paululo post etiam tincturae opii simplicis seu laudani **Sydenhami** guttas nonnullas admiscere possumus, seu dilutam lapidis divini vel hydrargyri muriatici corrosivi solutionem cum pauxillo laudani mixtam adhibemus. Aeger etiam muci secretione se imminuente, conjunctivae tumore decrescente continue in lecto versetur et parco vitae regimine utatur, oportet. Dolores vehementes et in oculo et in regione supraorbitali per hocce stadium pertinaciter durantes, characterem nervosum pae se ferentes remediis narcoticis saepius optime mitigantur et minuuntur. Quare opii puri seu morphii acetici granum cum saliva in unguentum formatum quotidie ter vel quater regioni supraorbitali infricari praescribimus, vel unguenti neapolitani drachmam cum opii granis sex seu extracto belladonnae ad infricandam in usum vocamus. Non minus frictiones cum morphii acetici solutione (gr. x in olei amygdalarum dulcium drachma una) seu laudano liquido **Sydenhami** bene conferunt. Quem ad finem adhuc bona officia praestitere: extracti opii grana sex in aetheris sulphurici drachmis duabus soluta, partes aequales pulveris opii et extracti belladonnae seu extracti hyoscyami; dein etiam tinctura stramonii, oleum cajeputi, electuarium anodynum cum extracto hyoscyami etc. Erethismus localis quando in torporem commutari videtur, tum vesicans regioni supraorbitali impositum et morphii acetici grani pars quadrans cum sacchari granis oxto mixta, epidermide remota, cuti inspersa saepius valde salutarem effectum praebuere. Ex multis remediis internis in primis aqua laurocerasi enumerari et commendari meretur, quae non solum erehismum aductum mitigat, sed etiam unacum muci secretionem nimis profusam, ob ejus in

membranas mucosas specificam actionem, paulisper immi-nuere videtur. Non minus et opium, praeprimis morphii acetici granum, pulvis Doweri, extracti hyoscyami grani pars sexta usque quarta pro dosi omni tertia hora consumta, ad erethismum adactum mitigandum bene conferunt, et sa-nationem valde adjuvant.

CURANDI METHODUS IN STADIO TERTIO. Quo in stadio corneae ulcera, sphacelatione orta, respicienda sunt, quod cauta eorum cura aegri oculum, cui exstinguendi sumnum periculum portenditur, nonnunquam sine magna formae muta-tione valet conservare. Ulceribus corneae partiariis, et solis externis corneae laminis devastatis, irritatione non magna praevalente, tum, ut in stadio secundo, tinctura opii sim-plex, seu laudanum liquidum Sydenhami aptissime instil-latur. Solutio calcis chloratae hic quoque utilitatem suam probavit; vesicantia, sinapismi suris impositi, ad tractum intestinalem derivationes continue in usu maneant. Quodsi vero haec ulcera in circuitu suo magnum stimulum seu in-flammationem progignunt, tum nos eam pae omnibus san-guinis evacuatione locali, i. e. hirudinibus nonnullis, circa tempora impositis, minuere et tollere, oportet. Remota de-mum irritatione locali, tinctura opii simplex, laudanum li-quidum Sydenhami, seu calcium chloratum denuo in usum vocari potest. Ulceratione corneae magis expansa, inte-rioribus quoque corneae laminis affectis et adhoc ulcera fla-vescentia ac pallide-flava appareant, tum, si omnis localis inflammatio deest, collyria adstringentia indicantur. Optime conveniunt solutiones lapidis divini, hydrargyri muriatici corrosivi, cupri sulphurici, aluminis, seu plumbi acetici. Quae remedia interea nonnunquam irritant atque hoc modo inflammatiōnem reducunt, cui methodus antiphlogistica le-niter opponitur.

Ad ulcera corneae late extensa, profunda et ad

destructionem semper progredientia coercenda, atque ad sanationem promovendam **Bacot**¹, **Wishart**², **Guthrie**³, **Lawrence**⁴ aliique Angli collyrium ex argento nitrico (grij usque ad grana X in aquae destillatae uncj soluta) paratum adhibere suadent. Quem ad finem etiam **Schoen** lapidem infernalem et in substantia et in solutione (grj usque ad gr. IV in aquae destillatae uncj) efficacem et salutarem commendat, et dimidium hujus solutionis cochlear theale ter quaterve de die oculo instillari jubet. Unguentum quoque ex argenti nitrici grj et axungiae drj paratum ad scopum memoratum adhiberi potest.

Quodsi haec cura ulcerationis processum coercuit, et ulcera prius orta ad sanationem valde progressa sunt, tum aegro vitae regimen paululo laetus et lumen majus, sed magna cautione concedendum est. Ad morbi demum finem aeger sine damno lectum relinquere potest. Videndi experimenta sero et maxima cautione instituenda sunt. Aegri robusti interne continue laxantia mitiora, parvas calomelis doses, infusum sennae cum sale Glauberi, aquam laxativam Viennensem etc. consumant. Vesicatorio cervice ademto, suppuratio unguento sabinae continuetur.

Sin autem in hoc stadio pulsus parvus et debilis fieri incipit, aliaque universalis debilitatis symptomata in aperto veniunt, remedia tonica roborantia et vitae regimen nutriendis praescribantur. Ad recuperandas vires perditas decoctum chiae cum acido Halleri propinantur, ac pedetentim aeger cibum magis nutrientem consumat.

Quodsi, finita ophthalmia gonorrhœica, conjunctivæ palpebralis degenerationes granosae remanent, eae citissime

¹ loc. cit. p. 132.

² Edinburgh med. and surgical Journal Nro. XCIII. p. 263 – 270.

³ London med. and phys. Journal. October 1830. p. 315 sqq.

⁴ op. cit.

removendae sunt. *Fischer* membranae conjunctivae loca granulosa unguento, praecipitato albo parato, illevit. Si vero hoc remedium minus efficax apparet, aut nimis prolongatur cura, tum conjunctivae palpebrarum loca granulosa lapide infernali caute tangantur, tactaque palpebrae loca oleo bene illiniantur. *Degenerationes sarcomatosae* autem, in conjunctiva relictæ, cultro aut forcice adimendæ sunt, quod quoque aliò modo removeri non possunt. Quibus locis dein tinctura opii, postea fortis *Zinci sulphurici* solutio, aut collyrium lapide infernali paratum, laudano permixtum instilletur, simulque fortia ad tractum intestinorum remedia derivantia adhibeantur. Relictam oculorum sensibilitatem, quae facillime ophthalmiam causare potest, remediis ad tractum intestinalem derivantibus, remediis vesicariis, fonticulis, daphne mezereo, praeterea palpebrarum et regionis palpebralis lotionibus cum aqua laurocerasi et opio valde minuere valemus. Nonnunquam etiam fomenta ex remediorum adstringentium solutionibus parata, opio permixta, cum balneis tepidis caute adhibitis officia optima praestitere. *Schoen* contra corneæ obscurationes relictas, omnibus aliis remediis frustro adhibitis, collyrium auri oxymuriatice (grj—IV in aquæ destillatae uncj solut.) quod *Jahn* primus comprehendavit, saepius valde efficacem invenit. Hujus remedii usum nullum causare dolorem, dicit, quare id prius, quam alia, permanente quoque oculorum sensibilitate, adhiberi potest.

De curâ ceterorum morborum, qui ophthalmiam gonorrhœicam consequi solent, in specie nihil memorandum est; medicus ad generales ophthalmiatricas et in specie in his morbis observandas regulas eorum curam dirigat, oportet.